ΣΥΝ ΘΕΩ,

TEXTUUM POENITENTIALIUM Anni 1672.

ANALYSIS BREVISSIMA,

Cum indigitatione DOCTRINARUM.

221.
103

Die I. Solemnium precum, (*die 14. Junij.*)

CONCIO I.

Parasc. *Syr. 1. v. 34. did.* de omni cultu divino, & appl. ad diem præsentem.

Textus, *Psal. 9. vers. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.*

Exord. *De laude Psalterij,* quod non immeritò cornu copiæ omnis Doctrinæ salutatur; continet enim *Doctrinas, Consolationes, Precationes, & gratiarum actiones.* Commodè igitur ex Psalterio eliguntur Textus pœnitentiales, *did.* Psalmus hic *Nonus,* sicut ferè omnes, absolvitur *Gratiarum actione,* & *Oratione.* In verbis autem prælectis, ut & cæteris Textibus observamus, more solito, *I. Explicationem, & II. Applicationem.*

In I. Notetur (α) Titulus, *vers. 1. Victori Almuth Labben, Canticum Davidis.* quamvis variæ sint hujus tituli interpretationes, præ cæteris tamen placet B. Lutheri, qui hæc verba ita reddidit: *Victori* (hoc est præcentori, ad canendum traditus) *Psalmus Davidis de juventute candidâ:* & applicatur, *cum* Davidi juveni, prosternenti Goliathum, *1. Sam. 17. v. 50. tum* Ecclesiæ Christi, quæ *candida* est, non respectu sui, sed Sponsi, qui eam *lavit* sanguine suo, *Apoc. 1. v. 5.* & *splendidâ* justitiæ veste induit, *Esa. 61. v. 10.* conf. *Eph. 5. v. 25. 26. 27.* Sicut ergo Psalmus *Octavus* agit de *Christo, Sponso,* ita hic *Nonus* de *Ecclesia, Sponsa.* Hinc David ut verum Ecclesiæ membrum, sese & omnes pios ad laudes Deo dicendas hîc excitat. Ergo

(β) Divini Numinis & Nominis celebratio, *vers. 2. Confitebor Jehovæ.* gratias agam & laudabo, conf. *Psal. 7. 18. & 35. 18. &c. In toto corde meo,* hoc est, non tantum linguâ & verbis, sed & *corde:* Deus enim *cor* aspicit, *1. Sam. 16. v. 7.* ne autem sese admisceat fucus & hypocrisis, dicit *toto* corde, opere sc. & veritate, *1. Joh. 3. v. 18.* *Nar-*

A rabo

rabo omnia mirabilia tua. At hoc impossibile? juxta illud *Job. 9. v. 10.* ergo de conatu hæc intelligenda sunt, & de beneficiis illis præcipuè, quæ quolibet momento obvia sunt. *conf. Syr. 47. v. 9. 10.*

Vers. 3. Lætabor & exultabo in Te, cantabo Nomini tuo, Altissime, varios hic observare licet Davidis affectus & gestus: *confitetur*, ubi dicit Jehovah Altissime; *stupet* dum agit de mirabilibus Dei; *gaudet*, dum dicit lætabor; *subsilit* præ gaudio, cùm dicit exultabo; *Psallit* pleno ore, ubi dicit cantabo: ô quam pulchra hæc est, *oris, cordis, gestuũ & affectuum* concordia!

(γ) Celebrationis ratio, *vers. 4. 5. 6. 7. quod conversi sint inimici mei, &c.* per hosce inimicos intelliguntur imprimis *Philistæi, 1. Sam. 17. v. 52. leg.* 1. *Sam. 4. cap. & seqq.* 2. *Sam. 5. v. 20. &c.* Item *Jebusæi, 2. Sam. 5. v. 8.* cæteræque *gentes*, Ecclesiæ Judaicæ infensæ, *v. 6.* leg. *Psal. 44. v. 2. 3. 4. & seqq.* ubi singulare hoc Dei beneficium â Davide extollitur.

(δ) Divinæ Potentiæ, Justitiæ & Beneficentiæ exaltatio, *vers. 8. 9. 10.* ex antithesi autem illa adduntur: namque per *sedere* & *solium, vers. 8.* Dominium & *Potentia* Dei innuitur, conf. *1. Tim. 6. v. 15. Psal. 62. v. 12.* sic sessio Christi ad dextram Patris in Cœlis, *Eph. 1. v. 20. 21. 22. 1. Pet. 3. v. 22.*

De Justitia Dei loquitur *vers. 9.* cùm enim nil frequentius fit in mundo, quàm quod justo & æquo judicio destituantur oppressi, hinc toties David, præcipuè Psal. 7. & h. l. ad *justum* Dei judicium confugit. Deus enim vicario non indiget, sed *ipse judicabit orbem*, hoc est omnes homines *in justitiâ*, id est summa æquitate, servando insontes & sontes subvertendo, *add. dicta, Psal. 116. v. 5.* 2. *Tim. 4. v. 8. & exempla, Sodomæ, Gomorrhæ reliquarumq; urbium subversio, & Lothi servatio, &c.*

De *Beneficentia* Dei agit *vers. 10.* ubi Deus ipse dicitur *munimentum oppressi*, quâ voce bis positâ, munimentum certissimum, seu arx fortissima notatur, juxta illud *Prov. 18. v. 10.* LXX. vocant καταφυγὴν, refugium, præsidium & asylum, quemadmodum enim Israëlitæ cæde fortuitâ perpetratâ ad asylum confugiebant, ubi tuti essent si non exiverint; ita nobis Deus est munimentum & asylum *in angustia & tribulatione, Psal. 105. v. 17. seqq. Dan. 6. v. 20. & seqq.*

(ε) Sperantium refocillatio: *vers. 11. & sperabunt &c*, Aureum piorum trifolium est, *nosse, quærere, sperare*, Deum esse poten-

tem,

tem, Justum & Beneficum *norunt*, ex modò dictis, aliisque S. S. præclaris effatis, & exemplis: Hunc in omni tribulatione, ceu opitulatorem certissimum *quærunt*; & ab illo se dimoveri nunquam patiuntur; verùm immotè in eum *sperant*, *Psal. 37. v. 25. & 27. v. 10. Syr. 2. v. 11. 12.* Quia spes firmis Dei promissionibus nitur, *Psal. 91. v. 14. 15. 16. Esa. 41. v. 10. 14.* & exemplis fovetur, *Gen. 32. v. 26. 1. Sam. 17. v. 37. 45. 2. Chron. 20. v. 6. 12. 15.*

II. Appl. Usus 1. ex (α) inter alia innumera Dei Beneficia in terris, haud minimum est, quod colligat sibi Ecclesiam, eamque candidam reddat; &c. atque in eâ juvenes piè educari ac florescere faciat, quorum ministerio Deus utitur in propagandâ & defendendâ religione, & patriâ, &c. *did. è contrario.*

2. Ex (β) de gratiarum actione, *did. ex suprà dictis.*

3. Ex (γ) *Cons.* tristibus & oppressis, quod Deus ipse sit *Judex*, & quidem justissimus, *Psal. 7. v. 9. 12. & 50. v. 6.* ad quem, ubi jus nostrum supprimitur, tutò appellare possumus, idque cum lacrymis, *Syr. 35. v. 21.* Est Judex, & *Advocatus*, *1. Joh. 2. v. 2.* Est Judex, advocatus & *vindex*, sive executor, *Psal. 76. v. 8. 9. 10. Syr. 35. v. 22. & seqq.*

4. Ex (δ) *Consol. & adm. did. ex suprà dictis.*

5. Ex (ε) sive *ex vers. 10. & 11.* ô quantum solatium! Deus ipse est munimentum oppressi, *did.* ex sup. dictis *& add. ex Psal. 113. v. 6. & 138. v. 6. 7. 8. Esa. 57. v. 15.* ô felices oppressos, hæc *scientes*, *quærentes*, & *sperantes*, did.

CONCIO II.

Parasc. *1. Thess. 5. v. 16. 17. 18.* Expl. & did. ex Diplomate regio, in quo ut & prioribus, jubemur Deo pro acceptis beneficiis gratias exsolvere, & pro avertendis pœnis ardenter orare, de priori dictum est in Conc. I. de altero jam hac Concione B. C. D.

Textus *Esa. 59. vers. 12-16.*

Exord. *Prov. 28. v. 13. 1. Joh. 1. v. 8. 9.* add. *exempla* præter *Manassis*, *Petri*, *Mariæ*, *Acolasti*, etiam illud *Jud. 2. v. 4.* ut & Nos simus imitatores, ergo ex hoc textu Not. *I. Explic. II. Applic.*

In 1. observetur (α) Capitis summa & partitio, atque ita horum verborum Occasio. Egit Propheta Capite proximè præcedente, de Judæorum hypocrisi sive simulatâ sanctimoniâ, præcipuè de jejunio

& Sabbati sanctificatione: In hoc Cap. (1) *persequitur* eandem quærelam de hypocrisi, & redarguitionem peccatorum, quibus dediti erant hypocritæ, ut sunt (a) iniquum judicium de pœnis â Deo inflictis, *v. 1. 2.* (b) iniquitas, mendacia & fraudes, *v. 3.* (c) judiciorum corruptio, *v. 4.* (d) idololatria, *v. 5. 6.* (e) injustitia & cædes, *v. 7.* (f) iniquitatis & falsæ religionis propagatio. *v. 8.* (2) *Conqueritur* de pœnis ipsis inflictis, ut sunt (a) justitiæ aversio. *v. 9.* (b) in consiliis error. *v. 9. 10.* (c) luctus & gemitus. *v. 11.* (3) *Confitetur* populi peccata, quibus pœnas pro meritus est *vers. jam prælectis sc. 12. 13. 14. 15.* & (4) *Subnectit* consolationem *v. 16. & seq.* jam ergo in tertia hujus Capitis parte præcipuè occupabimur; Quæ est

(β) Peccatorum *Confessio*, & quidem (A) in Genere *vers. 12. Multiplicatæ sunt prævaricationes nostræ coram Te, & peccata nostra respondent in nos, quia prævaricationes nostræ nobiscum, & iniquitates nostras agnovimus.* Emphatica sunt hæc omnia. (a) dicuntur *prævaricationes*, Hebr. *defectiones* vel â lege digressiones, ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, *1. Joh. 3. v. 4.* (b) sunt hæ prævaricationes *multiplicatæ*, nimirum contra omnia præcepta Decalogi, & quidem multis retrò annis, eadem confessio legitur *Esd. 9. v. 6. Conf. Ps. 38. v. 5 & orat. Manass. v. 9.* (c) *Coram Te*, Deo omniscio, *Jer. 16. v. 17. Syr. 23. v. 27. Hebr. 4. v. 13.* (Ubi occurrit vox valdè emphatica τετραχηλισμένα, q. quæ â collo suspensa exenterantur,) (d) *respondent in Nos*, h. e. contra nos, *nobiscum* scil: sunt, i. e. die nocteque nobis & conscientiis nostris obversantur, *agnovimus* peccata nostra, quæ accusant & testium instar nos convincunt coram Tribunali tuo, ut nullus sit excusationi vel defensioni locus relictus, *quia Conscientia mille testes. Conf. Rom. 2. v. 15. Sap. 17. v. 11.*

(B) In Specie, & (1) contra *primam* Decalogi Tabulam, *vers. eod. prævaricati sumus, mentiti sumus in Jehovam. vers. 13. retrocessimus â Deo nostro.* Synonyma hæc sunt, *prævaricari, mentiri, â Deo retrocedere*, & notant miserabilem â Deo ἀποστασίαν, de qua conqueritur ipse Deus, *Esa. 1. v. 3. 4. 6.* Sic â Christo recesserunt multi Discipuli ejus, *Joh. 6. v. 66.* Sic â fide contra conscientiam recessere Alexander & Hymenæus, *1. Tim. 1. v. 19. 20.* add. *2. Pet. 2. v. 20. 21.*

(2) Contra Tabulam *Secundam*, vers. eodem, *Locuti sumus calumni-*

lumniam & perversitatem, concepimus, & locuti sumus de corde verba mendacia, sc. in perniciem proximi: grandia sunt hæc peccata, & à Diabolo, (qui dicitur & est calumniator) profecta, *Matth.4.v.9. Joh.8.v.44.* Conf. *Prov. 25.v.18. Exempla.* Doeg. *1.Sam:22.v.9.* Conf. *Psal:35.v.10.* Ziba, *2.Sam:16.v.3.* Simei. *v.5.6,7.* Falsi testes, *1.Reg:21. v.13. &c.*

Vers. 14. & recessit judicium, & justitia à longè (est) h. e. ex æquo & bono nil agitur, non defenduntur innocentes, nec puniuntur prævaricatores, did. *ex Amos.5.v.7. & 6.v.12. Eccl.3.16.17.* Hinc *impegit in platea veritas, & integritas* (æquitas & candor) *non potuit ingredi* congregationem nostram; *Simil.* à langventibus & morbo correptis, qui difficulter incedunt, & si ingrediantur domum, collabuntur, *Jer:9.v.5.6.7. Mich:7.v.4.seqq. Matth:10.v.36.*

Vers. 15. Veritas defecit (sublata est, exulavit) *& recedens à malo, prædæ exponitur*, h. e. qui justitiæ dat operam, ob id malè multatur, sic Loth, *Gen:19.v.9.10.* Nehemias, *Nehem:2.v.17.& seqq.*

(γ) Divina indignatio, *vers. eod. quod vidit Deus & displicuit in oculis ejus, quod non esset judicium.* Vidit autem Deus non tantum populi Judaici, sed totius generis humani corruptionem, & quæ hanc secula est, injustitiam, &c, Et *displicuit ei*, non more humano, (cùm sit omniscius & affectibus careat) sed divino, quat. impiorum conatus improbat & cohibet; piorum vero conversionem & patientiam benignè respicit, *Leg. Psal:94.v.8--15. Conf. Psal:10.v.14.*

(δ) Divina Consolatio, *vers.16. Vidit prætereà quod non* (esset) *Vir*, h, e. aliquis qui auxilium ferret, *& obstupuit, quod non* (esset) *qui intercederet.* Ad misericordiam Dei hæc referenda sunt, quâ motus Deus, afflictum humanum genus per Christum à peccato & morte vindicavit, *did. ex Luc. 10.v.30.33. seq. Itaq; salutem fecit ei brachio suo*, (h. e. divinâ Christi virtute, *Conf. Esa: 51.v.5. & 63.v.5.*) *& Justitia ejus*, nimirum Christi, qui ἀναμάρτητος, *Joh.8 v.46. 1. Pet:2.v.22. fulcivit eum* sc. populum Dei, & omnem pœnitentem, *Conf. Esa:41.v.10. cum 1. Cor:1.v.30.* Hunc autem versiculum applicandum esse, non tantum ad pœnitentes in populo judaico, sed etiam ad Ecclesiam N. T. patet ex dictis N. T. parallelis, h. e. in quibus verba

ba hujus capitis citantur: *ut Rom:11.v.26. ex vers. 20. hujus cap. Eph:6. 17. & 1. Thes:5.v.8, ex vers. 17.*

II. Applic. Usus 1. ex (α) conciones pœnitentiales valdè utiles sunt ac necessariæ. *Necessarias* esse probat prima vox Baptistæ, concionantes *Matt:3.v.2.8.seqq.* & Christi, *Matth:4.v.17.* Sic Esaiæ, *Esa:1.v.2. 16.17.* & reliquorum prophetarum. *Utiles* ac fructuosas esse, probatur ex *Jer:2.v.10.seqq. Jon:3.v.5.seqq. Act:2.v.37.seqq.* De pœnitentiæ contemtu, vid. *Esa:22.v.12. seqq. Jer:5.v.3.seqq. Amos 6.v.6.seqq.* add. *Adm.*

2. Ex (β) Conscientiæ stimulis agitati, seriò peccata confiteantur, *did. ex sup. dict. & per Decal.* add. *ex Matth:3.v.6. Psal:32.v.5.6. Dan:9.v.4.seqq.* Fiat *adm.* & quidem seria ad ingenuam peccatorum confessionem.

3. Ex (γ) Displicet Deo omnis iniquitas, &c. did. *ex Job:24.v.2-17,* add. *exempla* indignationis & iræ divinæ.

4. Ex (δ) ô quanta est Dei Bonitas! Ecce, pœnam promeruimus, & gratiâ suâ nos amplectitur, did. *ex Mich: 7.v.8.9.18.19.20. Conf. Jer: 31.v.3.4.23.* add. *Exempla.*

Textus III. cum in unâ tantum vel alterâ Ecclesiâ, in toto hoc magno Ducatu proponatur, propter temporis brevitatem, Analysis ejus omittitur.

Die II. Solemn. prec. (12. *Julij.*)

CONCIO I.

Parasc. *Ezech: 3.v.10.11. 17.seqq.* appl.

Textus, *Esa.58.vers.1.2.3.4.5.6.7.8.9.*

Exordii loco dicatur brevissimè quid dictum sit die solemn. precum primo, præcipuè *ex Esa:59.v.12.seqq.* & connectatur cum textu jam prælecto. in quo observ. *I. Explic. II. Applic.*

In I. Not. (α) Præfatio, quâ attentionem captat, Dei mittentis & mandantis verba recitans, *vers. 1. clama in* (vel ex) *gutture, ne cohibeas* (clamorem,) *tanquam tuba &c.* Hocce clamore sive voce exaltatâ ostendit Deus populi judaici torporem, & stuporem in audiendis Prophetarum concionibus, quodq; tàm securè indormirent peccatis suis, ut distentâ *voce* ceu *tubâ* opus esset, ad excutiendum istum veternum, ut ex ore Prophetæ cognoscerent, quænam eorum essent

præ-

prævaricationes, &c. Hinc dicuntur prophetæ, ſpeculatores, *Ezech: 3. v. 17. Conf. Hab: 2. v. 1.*

(β) Increpatio, & quidem (A) in Genere, *verſ. 2. me tamen per ſingulos dies quærunt*, ſc. hypocritico ſuo cultu, præ ſe ferentes, quaſi (1) *vias meas ſcire vellent*, h. e. q. ardenti ſtudio flagrarent cognoſcendi voluntatem divinam, atque ad eandem vitam & mores inſtituendi, *leg. Ezech: 14. v. 1. ſeqq.* (2) *ſicut gens quæ juſtitiam fecerit.* h. e. gens imaginariâ juſtitiâ turgida, ſicut Phariſæus, *Luc: 18. v. 11. Conf: Matt: 23. v. 27. & ſeqq.* (3) *quæ judicia Dei* (i. e. præcepta, leges, & inſtituta ejus. *Pſal: 119. v. 7. 12. 13: 23. 26, 48. &c.*) *non dereliquerit*, ſicut juvenis, *Matth: 19. v. 20.* (4) *interrogant me judicia juſtitiæ*, q. delectarentur per ſacerdotem certiores reddi de juſtis Dei judiciis, *Conf. Jer: 38. v. 14.* & (5) *appropinquationem Dei volunt*, q. per piam vitam Deo appropinquare vellent, ut is ſuâ gratiâ & benedictione ipſis appropinquaret, juxta illud *Jac: 4. v. 7.* (NB. (4) & (5) juxta textũ Hebr. ſic explicanda ſunt, quod obſervarunt LXX, ſicut & verſio Finnonica. Verſiones autem quæ â textu orig. recedunt, diſceptationem populi judaici cum Deo reſpicere videntur, (*de qua verſ. ſeq.*)

(B) In Specie, ubi de hypocriſi in jejunio, de quo hic agitur (1) Elenctice, per Dialogiſmum, *verſ. 3. ad quod jejunavimus, & non aſpexiſti? affliximus animas noſtras*, (& ſimul noſtra Corpora, *Conf. Lev: 16. v. 29. & 23. v: 27. Num: 29. v. 7. Pſal: 35. v. 13.*) *& non ſciviſti?* q. d. hæc â Deo mandata ſunt, quæ qui faciunt remunerationem merentur, verum nos nihilominus affligimur. Valde impudens eſt hæc eorum diſceptatio; quia hypocriticum erat eorum jejunium, & ſi verum eſſet, & ex verâ fide profectum, illi tamen ſervi inutiles eſſent, *Luc: 17. v. 10. Conf. Job: 9. 2. 3. Pſal: 143. v. 2.*

Impudentem iſtam diſceptationem retundit Deus oſtendendo eorum (a) Immiſericordiam, *verſ. 3. Ecce* (adv. demonſtrandi ad attentionem & admirationem excitat, *Exod. 32. v. 9.*) *in die jejunij veſtri invenitis voluntatem* (ſive beneplacitum,) h. e. licet abſtineatis â cibis, indulgetis tamen cupiditatibus veſtris, præſertim dum *invenitis* (& cogitis) *omnes debitores veſtros*, (in Hebr, *labores*, vel facultates labore partas, quæ aliis concreditæ, iniquis exactionibus repetuntur, ſic *Matth: 18. v. 10.*

(b) In-

(b) Injustitiam & crudelitatem, *verſ. 4. Ecce, jejunatis ad litem & jurgium* (cum ſervis & debitoribus) *& ad percutiendum pugno impiè*, h.e. ad inferendum miſeris manus violentas. *Nolite jejunare ſicut ad hunc diem*, (huc uſque) *ut audiatur in excelſo clamor veſter*, de tyrannide veſtra, ſive clamor à vobis oppreſſorum, leg. *Exod. 3. v. 7. & Conf. Exod: 22. v. 23.*

(c) Hypocriſin, *verſ. 5. Numquid tale eſt jejunium quod eligam &c.* Habet interrogatio hæc vim negandi, q. d. minimè tale jejunium eligam, hiſce geſtibus quamvis etiam verè pœnitentes utantur, *Jon: 3. v. 5. 6. ſeqq.* maximum tamen eſt diſcrimen inter jejunium hypocritarum & verè pœnitentium; *Illi* enim externis illis geſtibus contenti, neglectâ pœnitentiâ & vero Dei timore hominibus ſaltem placere ſtudent, *Matth: 6. v. 16. ſeqq. Hi* verò externis geſtibus non neglectis, interno cordis motu, veraque fide jejunant, *leg. Joel. 2. v. 13. ſeqq.* & in ſignum veræ pœnitentiæ opera charitatis non negligunt prout quædam *verſ. ſeq.* recenſentur.

(2.) Didacticè, de vero jejunio agit *verſ. 6. Nonne hoc jejunium eligo?* ſc. juxta hæc & alia charitatis chriſtianæ opera, quorum (α) eſt oppreſſorum ſolutio, *diſſolve colligationes impietatis, &c.* id eſt, ne tàm rigidè agatis cum debitoribus veſtris, tàm illis, quos vi obligationis & ſyngraphæ debitores vobis iniquè obſtrinxiſtis, quàm illis qui ſe vobis exiguo nummulo præ paupertate vendiderunt. *Lev. 25. v. 39. Exod. 22. v. 25.* (b) panis diſtributio, *verſ. 7. frange eſurienti panem tuum, Pſal.* 112. *v. 9. Prov. 3. v. 27. & 28. v. 27. Tob. 4. v. 7.* (c) Exulum in domos receptio, *afflictos, vagos, &c. Lev. 29. v. 33. 34. Syr. 4. v. 5. 6. & 31. v. 28. 29. Hebr. 13. v. 1. 2.* (d) Nudorum veſtitio, *cum videris nudum. Exod. 22. v. 26. 27. Tob. 4. v. 17.* did. *ex Ezech. 18. v. 7. Zach. 7. v. 5. ſeqq. Eſa. 1. v. 16. 17.*

(3.) Argumenta ſuaſoria adduntur duo, (a) Humanitatis vinculum, conf. 1. *Cor.* 12. 21. *26. 27. Gal. 6: v. 2. Hebr.* 13. *v. 3.* ſic Abraham, *Gen.* 14. *v.* 14. (b) Amplum præmium, ſc. (1) felix rerum ſuceeſſus & expeditio, *verſ. 8. tunc erumpet veluti aurora* (celeriter & cum ſplendore, veluti aurora) *lumen tuum*, (gaudium tuum cum bonâ conſcientiâ,) *& proſperitas tua*, in vitæ prolongatione *efflorefcet, ibitq;*

coràm

coràm te justitia tua, justitiæ laus & merces, quàm Deus ... gratia beneficis promisit. *Gloria Jehovæ colliget te*, hoc est, in omni periculo gloriosè te proteget, did. *ex Psal. 41. v. 2.3.4.*

2. Precum exauditio, *vers. 9. Tunc invocabis, &c. leg. Esa. 65. v. 24. Psal. 91. v. 14. seqq.*

II. Applic. Doctrinæ hinc sponte fluunt huic diei accommodandæ, quas etiam videat B. L. in Commentario, in Esajam (qui nuper prodiit,) b.m.M. Jonæ Billovii, qui commentarius jam hîc Aboæ prostat.

CONCIO II.

Parasc. *Psal. 18. v. 2. 7. 30.* appl. ad præsens tempus & textum.

Textus, *Psalm. 60. vers. 13. 14.*

Exord. 2. *Chron. 20. v. 6. 12. 13.* Fiat appl. ad textum, in quo observ. *I. Explic. II. Applic.*

In I. Not. (α) horum verborum Occasio, & quidem (a) ex *Titulo, leg. 2. Sam: 8. v. 13. 2. Chron: 19. v. 1.* Quod autem hîc nominentur tantum XII. millia occisorum, & 2. *Sam: 8. v. 13.* XVIII. millia, sic conciliandum est: nempè quemadmodum Joab & Abisai partiti sunt inter se exercitum Davidis, 2. *Sam. 10. v. 10.* Ita uterque magnam partem hostium percussit, Joab in ipso congressu XII, & Abisai dum fugiebat hostis, VI. millia. (præter XX millia abductorum, & XXII. millia Syrorum, 2. *Sam: 8. v. 4. 5.*) victoria autem adscribitur, *jam* Abisai, 2. *Chron: 19. v. 12. jam* Joabo fratri ut natu, ita & authoritate majori, *ut in hoc Psal. v. 2. jam* Davidi, cujus auspicio bellum gestum est, 2. *Sam: 8. v. 13.* (b) ex vers. hujus Psalmi *præcedentibus*; ubi, *v. 3. 4. 5.* videntur respicere statum tristem sub Saule, *1. Sam: 31. v. 1. seqq. & 2. Sam: 2. v. 8. seqq. versiculis autem seqq. 6. 7. 8. &c.* statum feliciorem sub Davide, de quo statu 2. *Sam: 8.* * *&c.* Quo tamen tempore nunquam tuti erant ab hostibus, hinc erumpit David cum subditis in preces, Ergo

(β) Precatio, *vers. 13. Da nobis auxilium in angustia, nam vana salus hominum.* Verbo *Da*, Deum alloquitur, *Conf: v. 11. 12.* in quibus versibus observandum est, omnes ferè versiones heic exprimere per *Fut.* τίς ἀπάξει; *quis deducet?* τίς ὁδηγήσει; *quis viam monstrabit?*

Cum tamen per *Præt.* esset reddendum, quod Titulus in v. 2. indicat, (siquidem frequens est in Ling. Hebr. præcipuè in Psalterio, temporis Præteriti & futuri enallage.) ut ergo historia & contextus sibi constent; sic juxta Textum orig. reddenda sunt verba *vers. 11. & 12. quis deduxit me ad civitatem munitam? quis mihi viam monstravit usq; ad Edomum* (Edomæos?) *Nonne Tu Deus, qui projeceras nos?* (nimirum tempore Saulis) *& non egrediebaris, Deus, cum exercitibus nostris;* Jam ergo ex immensâ tuâ misericordiâ, (juxta promissiones tuas, *2. Sam: 7. v. 3. & 8. v. 6. 14.*) *fer auxilium,* quia tu es auxiliator fortissimus, *Psal: 74. v. 12. Eph. 3. v. 20. Conf. Deut: 32. v. 36. 43.* fer auxilium *in angustiâ,* h. e. si iterum unà cum subditis meis incidero in angustias: liquet enim *ex vers. 2. & ult. hujus Psalmi,* Davidem, cum hæc Domino cantaret, non fuisse coangustatum abs hostibus; timuisse tamen ipsos, cum fortes essent, & q. in circuitu habitarent. Cur autem auxilium divinum imploret, hanc addit causam; *quia vana* (juxta Hebr. *mendax*) *Salus hominis,* i.e. auxilium humanum, quo salus & incolumitas mea regnique mei, sine ope Dei, defendatur, q.d. sunt quidem populi circumjacentes benè multi & animosi, cum quibus, ut tutior viderer, fœdus esset ineundum; Sed Tibi ô Domine Zebaoth, ingratum erit, scio, *leg. Exod: 20. v. 31. 32. 33. Deut: 7. v. 3.* Imò minus mihi & regno proficuum, quia reconciliati sunt hostes, sæpius fallentes, quibus facilè non est credendum, *1. Macc. 10. v. 45.* addatur de amicitiâ fucatâ, *ex Syr: 6. v. 6. ad 13.*

(γ) Virtutis Divinæ Deprædicatio. *vers. 14. in Deo* (per Deum, i.e. ope & virtute Dei, *Psal: 28. v. 7. 8. 9. & 37. v. 39. 40. & 46. v. 2. seqq.*) *faciemus virtutem,* h. e. egregia facinora edemus. Immota hic fruitur David fiducia, quam habet ex victoriâ nuper obtentâ, *repetantur sup. dicta ex 2. Sam. 8. & Conf. titulus hujus Psalmi, item Psal: 18. v. 30.* Et *ipse* (DEUS) *conculcabit inimicos nostros. Calcare & conculcare* phrasi Scripturæ, idem est ac contemnere, *Prov: 27. v. 7.* Item gloriosè vincere & opprimere, ut h. l. *Conf. Deut: 33. v. ult. & Psal: 90. v. 13.* per *inimicos* intelligit præcipuè populos, quos timebat, sive hostes tàm apertos quàm clancularios, *leg. Psal: 17. v. 41. 48. & 26. v. 6.* Emphatica hîc notetur & Personæ & numeri mutatio. *Faciemus* dicit, h. e. ne simus securi, manus demittentes, q. Deus otiosos & labascentes juvaret; Verùm fortitèr agemus, sed *in Deo,* ad exemplum piorum & fortium heroum,

roum, &c. *leg. Hebr: 11.v.32.33.34. & Conf. Syr.46. & seqq. cap. Faciemus* dicit, victoria tamen non nobis sed *DEO* adscribenda erit; hinc non dicit conculcabimus, sed *ipse* (Deus) *conculcabit* inimicos nostros. Repetatur adhuc illud *Psal.18.v.30.* & add. 2. *Macc:10.v.38.* quam ob causam exclamat David, *Psal:115.v.1.*

II. Appl. Usus 1. ex (α) *Victoria*, quam reportavit David ab hostibus, & *tranquillitas*, quâ gaudebat, dum hunc psalmum Domino decantat, & *incertitudo* tranquilli illius status, occasionem præbuére horum verborum *vers. 13. & 14.* Quid a. Nos dicemus de statu nostro? ad quem hæc omnia quadrant, *did.* & in memoriam revocetur, quid jam multis retrò annis Deus Patriæ nostræ præstiterit.

2. Ex (β) Caveamus à peccatis irritantibus & urgentibus Deum ad pœnas de nobis sumendas, quæ quidem variæ, Amos 4.v.6. & seqq. sed inter cæteras pœnas gravissimum est bellum, leg. Amos 4. v. 10. Deut. 28.v.49. seqq. Esa. 5. v.24. Jer. 5. v.14. seq.

Cum autem jam rumores spargantur non leves de belli apparatibus, nostrum est preces indefessas ad Deum fundere, quò à Patriâ nostrâ avertantur belli pericula, *did. Doct. de precibus & earum efficacia apud Deum.*

Et si justo Dei judicio bellum nobis denuncietur, vel inferatur, vel justis de causis suscipiatur, sit spes nostra immota in Domino, *Jer. 17.v.5. did. ex sup. dictis* (Textûs nimirum analysi.)

3. Ex (γ) Speramus in Deum, & ipsimet ne simus segnes & pavidi, sed fortes in Domino, necessariâ armaturâ instructi, &c.

Et ubi requiruntur subsidia belli legitimè suscipiendi, ne simus morosi subditi, sed benevoli ad impensas faciendas, scientes periclitari Patriam, & omnium nostrum salutem temporalem, & frequenter æternam, (ubi sc. religio infestatur.) Oremus pro successu & pace, &c.

Ubi vero obtinetur victoria, prout sæpius obtinuimus, (Deo sint laudes perpetuò dictæ,) soli Deo acceptam feremus, *did. ex sup. dict.*

Tertius Textus, & hîc omittitur.

CONCIO I.

Textus *primus* hoc Die præscriptus, ex mandato Regio, propositus est in Ecclesiis nostris *Anno 1666. 13 Julij*, die tunc 2. solemn. prec. & Analysis ejus brevissima typis exscripta est, quæ jam, paucis saltem additis, (cum prior in omnium, præsertim juniorum V. D. Ministrorum manibus non sit) reiteratur.

Parasc. *Psal. 145. vers. 8. 9.* appl. ad Diem & Textum.

Textus, *Mich. 7. vers. 18. 19. 20.*

Exordii loco, *recitetur historia Gen. 12. v. 1. --- 7.* in quâ ampla fit promissio Abrahamo, & Semini ejus; quæ promissio sæpius repetita, quomodo adimpleta sit, patet ex vita ac historia ipsius Abrahami & posterorum ejus. Hanc eandem Dei Benignitatem & Misericordiam erga Abrahamum ejusque posteros, imò erga omnes verè pœnitentes, extollit Propheta in textu prælecto; in quo observ. *I. Expl. II. Appl.*

In I. Not. (α) De *Auctore* ejusque *prophetiâ*. Vixit hic Propheta *Micha*, eodem ferè tempore, quo *Esaias* in Regno Judæ, & *Oseas* atq; *Amos* in Regno Israëlis docuerunt, circa *A. M. 3240.* ducentis circiter annis post Prophetam, etiam *Micha* dictum, de quo 1. Reg. 22. v. 8. *Prophetiæ* summa hæc est: *cap. 1. & 2.* concionatur contra Regnum Juda & Israël, exaggerans eorum peccata, & denūcians promeritas pœnas. *cap. 3.* taxat Magistratus injustitiam & vanitatem Pseudoprophetarum. *cap. 4. & 5.* solatur contristatos, quos insuper de misericordia Dei, & adventu Messiæ instruit. *cap. 6.* repetit Comminationes. *capite hoc 7.* propositâ *querelâ* de piorum paucitate, & perversorum impietate, *v. 1. 2. 3. 4. 5. 6.* additâ quoque *consolatione* omnem diffidentiam tollente, & liberationem certissimam promittente, *vers. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.* tandem prophetiam concludit præclarâ δοξολογίᾳ, Ergo

(β) De hacce δοξολογίᾳ, in quâ Propheta misericordiam Dei maximopere extollit, idque (A) in Genere, Dei naturam quasi describendo, & quid factum sit prioribus temporibus, indicando, v. 18. *Quis DEus sicut Tu?* cum admiratione recordatur propheta eorum, quæ prius gesta sunt, item quæ hâc prophetiâ recensuit. (*ubi iterum interroga-*

rogatio habet vim negandi) tollens (condonans) iniquitatem, conf. Psal. 32. v. 1. 2. & auferens prævaricationem (juxta text. orig. *transiens prævaricationem:* metaph. ducta ab iis, qui transeuntes dissimulant se aliquem videre, vel quid ab eo geratur, quasi ei connivendo.) *reliquiarum hæreditatis tuæ, leg. 1. Sam. 26. v. 19. Psal. 2. v. 8. & vid expl. v. 9. cap. 32. Deut. pag. 7.* & insuper *notetur*, ut evidentior sit similitudo, quod *hæreditaria bona* Judæis multò gratiora fuerint quàm alia: non n. facilè ex sedibus suis & tribubus migrabant; & quod hæreditate à majoribus acceperunt, sibi omninò divinitùs datum credebant, leg. 1. Reg. 21. v. 3. de vineâ Naboth. *Non retinet (mutatio personæ emphasin inducit) in seculum iram suam, quoniam diligit misericordiam.* (Hebr. *voluit benignitatem*) *add. Dicta & exempla è S. S.*

(B) *In specie*, eandem benignitatem adhuc sperando. v. 19. *Revertetur*, (*reverti* dicitur Deus, ubi idem iterum agit, ut Psal. 6. v. 5. *item*, ubi missâ irâ suâ gratiam & misericordiâ declarat, sic Zach. 1. v. 3.) *& miserebitur nostri.* Emphatica est h. l. vox Hebræa *Rechem*, cui respondet in N. T. vox Græca σπλάγχνα & notat utraque *propriè* viscera majora, vitaliaque membra interiora, item vulvam, quæ fœtum inclusum fovet, atque ita *metaphoricè*, blandissimam misericordiam divinam, quâ Deus in afflictionibus nostris commovetur, & curâ plus quàm maternâ, eos fovet, *leg. Jer. 31. v. 20. Luc. 1. v. 78. subjiciet iniquitates nostras*, h. e. pessundabit & conculcabit. (Vox n. Hebræa cõculcationem & dominium notat.) *& projiciet* (Hebr. *projicies, vel projecturus es*, ô Clementissime Pater, ut Te tuâ promissione fretus alloquar. (*iterum mutatur persona.*) *in profunda maris*, ut scilicet nunquam veniant in conspectum tuum, (*did. similitudo.*) *omnia peccata nostra*, (Hebr. *eorum*, h. e. omnium verè pœnitentium) quod patet exemplo Adami, Noachi, Lothi, Davidis, &c.

V. 20. Dabis veritatem, &c. h. e. præstabis fidem, vel quod pollicitus es sanctis Patriarchis, & quidem jure jurando, *leg: Gen. 22. v. 16. 17. 18. & 26. v. 3. Deut. 7, v. 8. & 29. v. 13. Psal. 89. v. 36. 50.* Vocat autem promissiones Dei *veritatem*, quod certissimè eveniant; *misericordiam* autem, quod ex gratiâ fiant.

II. *Applic.* Usus 1. ex (α) Conqueritur propheta *hoc in cap.* de paucitate piorum suo tempore, & hortatur ad prudentiam & patientiam: quid non Nos in hac mundi senectâ? (de qua *Luc.18.v.8.*) Nobis certè *prudentiâ* opus est, *leg. Matth.10.v.16.* Sic David, *1.Sam.18.v.5.14.* Sic Abigail, *1. Sam.25, v. 18.* & *Patientiâ*, de qua *leg. Rom.5. v.3.* & *15.v.4.5. 2. Cor.6.v.4. seqq.* *did. ex* 2. *Thess.1.v.4.* & *1. Petr.1.v.6.seqq.*

2. Ex *vers. 18. 19.* Misericordiam Dei meritò deprædicarent Israelitæ, quia ab eo non tantum vera prudentia, 2, *Chron.23.v.12.* & vera patientia, *Prov.14,v.29. Tob.2.v.13.18.* sed & peccatorum remissio, & fœderis renovatio, 2. *Reg.13.v.23.* did. *ex Jer.31.v.20.* Agnoscamus & Nos immensam Dei exga nos Misericordiam, in Creatione, *Job. 10.v.8. Psal.139.v.14.* In Redemptione, *Act.20.v.28. 1.Joh.1.v.7.* Et peccatorum Remissione, de quâ h. l. potissimum agit Propheta, *v.18.19.* & quidem verbis emphaticis, did. *ex Psal. 103.v. 8.9.10.11.12.13.14. Exod.34.v.6.* add. *exempla* ....

3. *Adm.* (a) Dum celebramus dies hosce Solemnes, cum gratiarum actionibus & precibus, recolemus ea, quæ dicta sunt ad *Psal. 9. v.* 2.3. Cum autem innumera sint Dei Beneficia, quæ si enumerare tentemus, ubi incipiendum, & ubi finiendum? Ergo in genere extollemus Dei Misericordiam, *ex Psal, 34.v.2.3.4.* Et præcipuè, quod monet hic textus, quod remittantur nobis peccata, did. *ex Psal. 103.v.2.3.4. add. Psal.86.v.12.13.* & *71.v.13. Luc.1.v.47.* & indies sedulam demus operam, ut actâ seriâ pœnitentiâ, (*Esa.1.v.16. Jer.3.v.22. Matth.4.v.17.* sicut David, Manasses, Maria &c.) piè vivamus, *1.Thess.4.v.3.4.6. conf. Matth.5.v.16. Tit.2.v.11. seqq.*

(b) Si autem crux non emanserit, (juxta illud, *Tob.12.v.13.* & *Syr.2.v.1.5.*) solare te *ex vers.9.* & *19. hujus cap. add. Syr.2.v.2.3.6.7. seqq. Rom.5.v.3.4.*

4. *Ex vers. 20.* Cum sciamus Deum esse veracem in promissionibus, Ergo nunquam ab eo dimoveamur, *leg. Thren.3.v.31.seqq.* Sic *Job, Capite 14.v.14.* & *27.v.5.6.7.* & David, *Psal.73.v. ult,* &c.

CON-

Et Textum *Secundum*, hoc die proponendum, qui non tantum *Anno 1653. die 13 Maij*, sed & *Anno 1670. die 12 Aug.* ex præscripto S. R. Maij:tis in Ecclesiis expositus est; quam brevissimè priùs enucleavimus: quæ enucleatio, ob eandem rationem, cum vacet pagella, hîc etiam reiteratur.

Parasc. *Psal. 119. v. 124. expl. & apppl. ad hosce dies prec.*

Textus, *Mal. 3. vers 13. ad finem.*

Exordij Loco, repetatur breviter ex textibus prioribus, quod primariò ex illis propositum est, & addatur exhortatio ad devotam hujus textûs meditationem, in quo Not. I. *Expl.* II. *Appl.*

I. Et quidem (α) Quid sentiant & loquantur homines (A) Impii, *v. 13. Invaluerunt contra me verba vestra, dicit Dominus*, h. e. magis magisq; sinistrè de me loquimini, vel mihi obloquimini: ubi autem dicitur homo loqui cum Deo, non semper externum sermonem notat, sed & cordis cogitationem, *Ps. 14. v. 2. Exod. 14. v. 15.* sermones enim & cogitationes æquè Deo notæ sunt, *Matth. 9. v: 4. conf. Psal. 94. v. 9. & appl.* ad Cor. namq; *qui est cordis Creator, est quoq; ejus scrutator.* Responsant autem Impii: *Quid locuti sumus contra te?* Commune est omnibus hominibus, quod sese excusent, *Conf. Gen: 3. v. 12. seq. & 4. v. 9. Matth. 27. v. 24.*

V. 14. Resp. Deus. *Dixistis: vanum est,* (res vana est & inutilis) *colere DEum*, sc. timore, *Psal. 2. v. 11. Rom. 12. v. 1. Quid emolumenti* &c. h. e. quæ in nos exinde redundat conspicua utilitas? Vox dura, oris impuri! *Conf. Job. 21. v. 14. 15.*

V. 15. Addunt rationem: *ideo beatos prædicamus superbos* (contemptores Dei, verbi ejus & omnis honesti) *etiam ædificantur*, incrementum capiunt in temporalibus, non autem in favore DEI; *facientes iniquitatem, &c. Conf. Job. 21. v. 7. seqq. Psal. 73. v. 2. seqq.*

(B) Pii, *v. 16. Contra locuti sunt timentes Dominum*, non murmurant adversus Dominum, quod sic florere & blasphemare sinet impios, sed solantur sese invicem, ut fieri solet inter tristes, quilibet suam sententiam consolatoriam addit: *Dominus attendit & audit*, sive loquamur, sive cogitemus, quia καρδιογνώστης, *Psal. 94. v. 9.* & suo tem-

tempore omnia revelabit coram judicio, *Eccl.12.v.13.14. Liber memoriæ scriptus est*, h. e. codicilli, *did. simil. Conf. Esa. 49. v. 15. & add. Psal. 139. v. 16.*

(β) Quæ Retributio? (A) Piis, *vers. 17. erunt peculium*, h. e. res gratissima, *die isto*, hic quidem tempore gratiæ, & N. T. maximè vero in die pantocritico, ubi erunt à dextris, *Matth. 25. v. 34. Filius frugi*, duplici nomine amatur, tum quòd filius, tum quòd obediens sit, confer *Prov. 23. v. 21. 23. 24. 25.* cum *1. Reg. 3. v. 26. 27.* & did. *ex Psal. 103. vers. 13. Esa. 49. v. 15.*

(B) Impiis, *vers. 18. Revertimini & videbitis*, (sc. vos impii, *reverti* in S. S. notât quidem pœnitentiam agere, *Jer. 3. v. 12.* sed h. l. nimis seram & hypocriticam pœnitentiam, cum sc. impii *videbunt*, h. e. reipsâ experientur cum æterno suo exitio) *quid* (discriminis intersit) *inter justum & injustum, &c. Leg. Matth. 25. v. 41. seqq. Luc. 13. v. 24. 25. 26. 27. 28.* add. *Sap. 5. v. 1. usq; ad 16.*

II. *Applic.* Considerandus est nobis h. l. Deus 1. ut *Author* S. Scripturæ, *v. 13. Dicit Dominus : leg. 2. Tim: 3. v. 16. & 2. Pet. 1. v. 21.* ita & verax tàm in promissis, *Psal: 33. v. 4. 2. Sam. 7. v. 28. 29. Act. 13. v. 23. Rom. 4. v. 13. 14.* quàm in Comminationibus, *Gen. 6. v. 3. 7. 1. Reg. 11. v. 11. 12. 2. Reg. 9. v. 36. & 17. v. 23.* Gaudeant ergo omnes peccatores timidi, & timeant omnes peccatores tumidi, did. *ex dict. cit.* & fiat adm.

2. Ut *Omniscius, v. 14. 15. 16.* sciens verba & cogita, tàm piorum, quàm impiorum, *Psal. 139. v. 4. Jer. 17. v. 10. Sap. 1. v. 6. Syr. 42. v. 18.* Hæc sint piis & afflictis solatio, quod notæ sit Deo illorum afflictiones. *Gen. 31. v. 12. Exord. 3. v. 7. did. ex 1. Cor. 10. v. 14.* Atque preces, imò & suspiria, *Esa. 65: v. 24. Exod. 14. v. 15. 1. Sam. 1. v. 13.* Sint hæc quoque impiis terrori, siquidem illorum cogitata, dicta & facta Deo sunt quàm notissima, *Psal. 94. v. 8. 9. 10. 11.* did. *exemplo* Jehasi, *2. Reg. 5. v. 20.* & judicum, *in Hist. Susannæ.* Fiat adm. *ex Rom. 6. v. 12. 13. Gal. 5. v. 24.*

3. Ut *Remunerator* bonorum, *v. 17.* did. *ex Gen. 15. v. 1. Syr. 51. v. 37. 38. Matth. 10. v. 41. 42. Hebr. 11. v. 6. 26.*

4 Ut *Vindex* malorum, *v. 18.* did. *ex suprà dictis*, & add. *Syr. 5. v. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Sap. 3. v. 10. 11. 12. & 4. v. 18. seq. Syr. 16. v. 10. 11.* & *exempla.*

Et concludantur hæ conciones seriâ admonitione ad pœnitentiam, præcipuè ex hoc textu.

Textus *III. omittitur.* FINIS.